

2 cravit. Iterum et tertio consul multa domi militiae-
 3 que gessit. Quarto consulatu cum Fabio Maximo,
 cum Galli, Samnites, Umbri, Tusci contra Romanos
 conspirassent, ibi exercitu in aciem ducto et cornu
 inclinante exemplum patris imitatus advocato Marco 5
 Livio pontifice hastae insistens et solemnia verba re-
 4 spondens se et hostes diis manibus devovit. Impetu
 5 in hostes facto victoriam suis reliquit. Corpus a col-
 lega laudatum magnifice sepultum est.

28 Titus Manlius Torquatus ob ingenii et linguae 10
 tarditatem a patre rus relegatus, cum audisset ei diem
 dictam a Pomponio tribuno plebis, nocte urbem petiit.

2 Secretum colloquium a tribuno impetravit et gladio
 □ stricto omittere eum accusationem terrore multo com-
 3 pulit. Sulpicio dictatore tribunus militum Gallum 15
 provocatorem occidit. Torquem ei detractum cervici
 4 suae indidit. Consul bello Latino filium suum, quod
 contra imperium pugnasset, securi percussit. Latinos
 apud Vesperim fluvium Decii collegae devotione supe-
 □ 5 ravit. Consulatum recusavit, quod diceret neque se 20
 populi vitia neque illum severitatem suam posse sufferre.

29 Reliquias Senonum Camillus persequabatur. Adver-
 sum ingentem Gallum provocatorem solus Valerius
 2 tribunus militum omnibus terris processit. Corvus
 ab ortu solis galeae eius insedit et inter pugnandum 25
 ora oculosque Galli everberavit. Hoste victo Valerius
 3 Corvinus dictus. Hinc cum ingens multitudo aere
 alieno oppressa Capuam occupare tentasset et ducem
 sibi Quinctium necessitate compulsam fecisset, sublato
 aere alieno seditionem compressit. 30